

Quo modo Marius castellum Numidicum fortuito capere potuerit

Marius, cum in Numidia contra Iugurtham pugnaret, diu obsedit castellum in loco aspero et deserto situm, ubi Romani neque aquam neque pabulum reperire poterant. Marius incertus erat sed fortuna eum adiuvit.

At Marius multis diebus et laboribus consumptis anxius¹ trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, quae saepe prospere usus fuerat. Quae cum multos dies noctesque aestuans² agigaret, forte quidam Ligus³, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius⁴, castris aquatum⁵ egressus haud procul ab latere castelli⁶, quod aversum proeliantibus erat, animadvertit inter saxa repentes⁷ cocleas⁸, quarum cum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legendi paulatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more ingeni humani cupido difficilia faciendi animum alio⁹ vertit. Et forte in eo loco grandis ilex¹⁰ coaluerat inter saxa,

¹ anxius, a, um = trepidus, timidus

² aestuo, as, avi, atum, are = fervere

³ Ligus, uris = qui natus est in Liguria, ad Ligures

⁴ gregarius, ii = qui est in grege militum, "soldato semplice"

⁵ aquor, aris, atus sum, ari = aquam petere

⁶ castellum, i = locus munitus

⁷ repo, is, psi, ere = manibus et genibus ire

⁸ coclea, ae = "lumaca"

⁹ alio (avv.) = ad alium locum

¹⁰ ilex, icis = "leccio"

paulum modo prona¹¹, deinde inflexa¹² atque aucta in altitudinem (quo¹³ cuncta gignentium natura fert). Cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus¹⁴ Ligus in castelli planitiem pervenit, quod cuncti Numidae intenti proeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere¹⁵, uti ascenderat, sed temptans omnia et circumspectans. Itaque Marium propere adit, acta edocet, hortatur, ab ea parte qua ipse ascenderat castellum temptet, pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure promissa eius cognitum ex praesentibus misit. Quorum uti cuiusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nuntiavere; consulis animus tamen paulum arrectus¹⁶. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam ve-

¹¹ pronus, a, um = inclinatur ad terram

¹² inflexus, a, um = "piegato, ripiegato in verso contrario"

¹³ quo = avverbio

¹⁴ nitor, eris, nisus sum, niti = laborare, studere, operam dare

¹⁵ temere = temerario modo, ☐ caute

¹⁶ arrectus, a, um = attentus, intentus

Rif.: Roma aeterna, cap. XLIV

locissimos delegit et cum iis, praesidio qui forent, quattuor centuriones, omnesque Liguri parere iubet et ei negotio proximum diem constituit.

[Sallustio, B.I., 93]

(Ivana Milani)
